



Theodoricus, An der Halden dictus, Svitiae apud Heluetios anno circiter 1520 honestis patribus natus, & omni genere uirtutum optimè educatus est. Is quam primùm adoleuisset, atq; primaliterarum rudimenta in patria percepisset, capescendi ingenij cultus gratia sese in Galliam & Italiam contulit ac exterorum linguis incubuit, ita ut mediocrem earum sibi usum compararet. Postea quoq; Heluetiorum castra secutus, magnam rei militaris peritiam acquisiuit, atq; ob uarias animi & corporis uirtutes eques auratus constitutus fuit. Cum hoc modo in magna exultatione esset, in patriam redijt, & inter senatores cooptatus, in ma-

gna æstimatione extitit. In eo uitæ genere cum magna prudētia pergeret, atq; aliquoties in Heluetiorum comitijs patrię suæ legatus extitisset, tandem Consul & summus magistratus Svitiae, quem Amannum aut potius Amptmannū dicūt eligitur. Eam dignitatem Theodoricus tanta animi moderatione suscepit, & administrait, ut omnibus bonis gratissimus esset. Nihil enim intermisit, quod ad patriæ honorem, & totius Heluetiæ pacem & tranquillitatem facere uideretur. Hoc modo is etiamnum apud suos perseuerat, atq; patriæ utilis cūis & ornamento existit, ut meritò hoc loco magnis Germaniæ uiris interferatur. Anon.